



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Pastorum Sive Instructio Practica Neoparochorum

Dirckinck, Johann

Treviris, 1702

Caput. 16. De Sacramento Confirmationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51873)

Si Pastor ob chiragram, aliudve impedimentum, nequeat anterioribus digitis hostiam porrigere, licet posterioribus digitis eam ministrare, quia hi digiti etiam consecrati sunt. Toletus. Gobat. casu 21 Alph. comm Si Eucharistiam sine lumine & præviâ confessione ministret, non peccat mortaliter, sed venialiter, si extra sacrificium eam ministret Suarez d. 27. s. 4. Intra sacrificium peculiare lumen pro communione accendi solet, id tamen omittere, nullam per se culpam continet. Gobat alph. n. 167. Denique Pastor licitè potest, quemcunque Sacerdotem simplicem, suo loco, substituere, ad communionem distribuendam.

CAPUT XVI.

De Sacramento confirmationis.

Sacramenta sunt 7. tanquam septem planetæ, Ecclesiæ coelum illustrantia, quæ inter Eucharistia ut sol eminet. Tria ex his Parochus non ad-

T 6 mini-

ministrat, scilicet Confirmationem, Ordinem, & Matrimonium. Confirmatio & Ordo Præsulibus, tanquam Intelligentiis Superioris ordinis commissa sunt. Matrimonii ministri sunt ipsi contrahentes; Synodus Tridentina Pastorem huic assistere tantum voluit. Aliorum quatuor Sacramentorum administratio, Pastoribus minoribus relicta est.

Monitum I. Curet Pastor ut à Parochianis suis hoc Sacramentum maturè suscipiatur; neque facile ultra septennium differatur, præsertim in locis hæreticis. Est enim quasi complementum characteris baptismalis, ut fidem in Baptismo acceptam temptationum & persecutionum fortiter & generosè retinere queant.

Monitum II. Allaboret, ut hoc Sacramentum devotè & dignè suscipiatur, quem in in finem in concione vel catechismo explicet hujus Sacramenti materiam, formam, & effectus, qui sunt robur spirituale, quod per sanctam
etiam

Etiam unctionem Fidelibus datur, & signum sive character qui imprimitur animæ; sicut in pugna corporali milites Ducum insignia gestant: præter hunc characterem indebiliter animæ impressum, accedit augmentum gratiæ, quo gratia in baptismo collata perficitur: adeò, ut quis timore & pudore deposito, audeat Christum, ejusque doctrinam profiteri, & pro ejus nomine contumeliam pati gaudeat. Exemplo Apostolorum, qui antè erant timidi & imbecilles, accepto postea Spiritu sancto, fortissimi, constantissimique evasere. Quod & alapa in confirmatione ab Episcopo dari solita significat. Acceptio pacis ab Episcopo datæ, significat eam pacis plenitudinem obtinuisse & gratiæ, pacemque post pugnam & victoriam obtineri.

Monitum III. Curet, ut confirmati Patrinus, nomen indicet ejus, quem præsentat, manum dexteram super humerum dextrum, dum confirmatur

T 7

teneat,

teneat, frontem confirmati fasciâ mundâ, ob reverentiam sacri chrisma-
 tis, liget, eâque in tertium diem retenti-
 tâ, nisi Religiosus aliquis aut Sacer-
 dos, quod consultius est, id faciat)
 solvatur, in aquam incingatur, ite-
 rûmque exprimatur: aqua verò &
 cineres ex combusta fasciâ relictâ, vel
 in cœmeterium, vel supra ossa mortu-
 orum, vel certè in profluentem pro-
 jiciantur. Si Pastor ipse abluit, mo-
 neat confirmatum, ut memor sit gra-
 tiæ acceptæ, nec vacuam esse sinat, sed
 fortiter pugnet, ac mundi carnis &
 Diaboli tentationibus strenuè resi-
 stat.

CAPUT XVII.

De susceptione Sacramenti Ordinis.

NEoparochus nondum sacerdotio
 initiatus, seu Parochiæ Candida-
 tus, ad suscipiendum Ordinis Sacra-
 mentum, quàm diligentissimè se præ-
 pare, quem in finem sequentia mo-
 nita plurimùm proderunt, quæ V. P.
 Nico-